

Et ego Henricus dictus Rant clericus Osnaburgensis publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius ac venerabilis viri domini Petri Maioris et auditoris et causae praedictorum scriba lectioni, lationi et in his scriptis pronuntiationi, suprascriptae diffinitivae sententiae ac omnibus aliis et singulis supradictis sub anno, indictione, die, mense, loco et pontificatu quibus supra ac unacum testibus praenominatis praesens fui, vidi et audivi eaque omnia et singula propria manu scripsi, publicavi et in hanc publicam formam redegi, ac una cum sigillo dicti domini auditoris huic publico inde confecto instrumento appenso signum meum apposui consuetum rogatus per dictum magistrum Detleum procuratorem in testimonium omnium praemissorum.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Siegel an rothseidener Schnur, und einem Transsumt vom 22. Nov. 1483 im Stiftsarchiv zu Meissen.

No. 471. 1353. 14. März.

B. Johann nimmt die Bestimmung zurück, dass die Parochialkirche in Dresden zum bischöfl. Tafelgut, die in Zschaitz dem Capitel, die in Göda zur Custodie gehöre, während die in Mitweida ferner mit der Scholasterie vereinigt bleibt, und verfügt, dass die zu Zschaitz stets nur einem Domherrn der höhern Ordnung verliehen werden soll. Vgl. No. 454.

In nomine domini amen. Cum incorporationes ecclesiarum parochialium videlicet in Dresden mensae episcopali, in Zschewicz capitulo Misnensi, in Mitteweide scolastriae et in Godowe custodiae dictae Misnensis ecclesiae per nos Johannem dei gratia episcopum Misnensem dudum factae propter plura supervenientia impedimenta non possint procedere nec commode observari, igitur omnes et singulas incorporationes praedictas per nos factas de expresso consensu nostri capituli praesentibus tollimus et revocamus et sublatas et revocatas esse volumus, omnino renunciantes expresse incorporationibus eisdem et specialiter dictae ecclesiae parochiali in Dresden mensae nostrae episcopali incorporatae et unitae pro nobis et nostris successoribus, et remittimus dicto nostro capitulo super dictis incorporationibus praestitum iuramentum, ecclesia parochiali in Mitteweide duntaxat excepta, quam dictae scolastriae incorporatam esse volumus, et eidem, quia alios redditus non habet, praesentibus unimus, annectimus et incorporamus. Reliqua vero beneficia praedicta capitulo et custodiae ac mensae nostrae incorporata et nunc per nos revocata nos et nostri successores intra capitulum vel extra, prout prius conferri consueverant, et specialiter ecclesiam parochialem in Zschewicz uni ex canonicis nostrae Misnensis ecclesiae praedictae vocem in capitulo habenti et non extra capitulum conferre debemus et debebunt. In quorum omnium testimonium praesentem litteram scribi fecimus et nostri maioris sigilli appensione muniri. Datum et actum in castro nostro episcopali Stolpin, anno domini M^o. CCC^o. LIII^o. XIII. die mensis Martii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Bischofs an einem Pergamentstreifen. Hasche dipl. Gesch. Dresdens. Urkundenb. S. 122.